

patrem et matrem tuam, ut sis longevus super terram. Quapropter, ut eterne beatitudinis felicitatem anime nostre preparamus, sane consilio Ogerii Yporegiensis episcopi nostri fidelissimi cancellarii et grato interventu Conradi regis dilectissimi filii nostri et humilima petitione Ottonis venerabilis electi sancte Astensis ecclesie aliorumque plurimorum nostrorum bonorum fidelium, concedimus et concedendo stabiliter firmamus sancte Astensi ecclesie medietatem castri Lavegie et medietatem silve Blesie et medietatem potestatis liberorum hominum eiusdem nunc dicti castri atque tertiam partem Levegiensis curtis secundum quod inde inter se convenerunt Astensis episcopus et Albensis cum omnibus eorum pertinentiis exceptis hiis, que ibi habebat ac tenebat Astensis ecclesia. Addimus autem huic concessioni curtem Cerisole de Bosco, sicut marchio Manfredus et Berta comitissa et Alricus episcopus eam pro salute animarum suarum dederant monasterio Sanctorum Apostolorum. Concedimus etiam eidem ecclesiae abbatiam Sancti Dalmacii Pedonensis²⁾ ex integro, sicut pater et avus beate memorie noster ipsam ei concesserunt atque firmaverunt, velut in eiusdem preceptis ecclesie legitur. Hanc per omnia concessionem firmamus et salva nostra modis omnibus iusticia memoratam ecclesiam perhenniter habere vel tenere sine molestia eam ipsam concedimus. Si quis igitur dux, marchio, comes, vicecomes, gastaldio vel alia quolibet persona magna vel parva, cuiuscunque conditionis fuerit, hanc preceptalem paginam violaverit, procul dubio centum libras optimi auri compositurus banno nostro subiacebit, medietatem nostre camere et medietatem predicto Ottoni electo vel eius successoribus Astensis ecclesie pontificibus. Hoc igitur inviolabiliter corroborat imperialis imaginatio nostri sigilli et decorat.

Signum domni Henrici
invictissimi Romano-
rum imperatoris
Ego Ogerius Dei gratia
Hyporegiensis episcopus
et cancellarius
archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

(M) atque piissimi.
vice Erimanni Coloniensis

Copie im libro verde d'Asti f. 100 im Staatsarchive zu Turin.

1) Statt des Namens ein Monogramm gebildet aus den Buchstaben desselben.

2) Cod. pcomensis, vgl. Durandi, Piemonte Cispad. 153. — Nicht bei Stumpf, ungedruckt.

9.

Heinrich IV. schenkt dem Bischof Otto von Asti die Grafschaft Asti sammt allem Zubehör, wie sie bisher von der Gräfin Adelheid innegehabt war. Ohne Daten. (1092—93.)

C. In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus¹ Dei gracia Romanorum imperator augustus. Sanum esse novimus et utile valde, consultis nostrorum petitionibus fidelium